



- III. Ad tollendam vocum obscuritatem, ac, quae inde resultat, confusionem in cognitionibus multum omnino conferunt definitiones & divisiones adcuratae.
- IV. Definitionis regulae in scholis alias famosae hac lege comprehenduntur: definitio notionem definiti completam, &, ut strictè logica sit, determinatam rite exprimat.
- V. Quodlibet divisionis membrum totam divisi notionem debet participare.
- VI. Dividere per saltum haud licet.
- VII. Terminorum adfectiones probe nosse tyronibus Logicis non utile modo, sed & necessarium est; de his tamen tritari Peripato, siqui sunt, etiamnunc devotis relinquimus.

EX LIBRO SECUNDO,

DE JUDICIO.

- I. **J**udicium est interna mentis adquiescentia in cognita inter ideas con vel disconvenientia.
- II. Hallucinatur itaque cum aliis quibusdam clariss. Vernejus judicium in ipsa cognitione con vel disconvenientiae constituens.
- III. Judicium adfirmans a negante non differt nisi ratione objecti.
- IV. Omnium in cogitando errorum fons est ignorantia conjuncta cum nimia in judicando praecipitantia.
- V. Ceu generale contra errores remedium jure praescribitur: *non esse in judicando praecipitem oportet.*
- VI. Praejudicium, licet non omne falsum, de falsitate tamen suspectum jure habetur.
- VII. Ad praejudicia sive deponenda, sive discernenda etiam, ad examen revocandae sunt opiniones.